



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 117. Calvinistarum rationes pro ineunda pace.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

Sæcul. XVI nihilque fuisset conclusum, nisi Angliæ
A. C. 1567. & Florentiæ Legati suam operam con-
 tulissent.

§. CXVII.

*Calvinistarum rationes pro ineunda
pace.*

*Thu. l. 6.
Daniel t. 6,
p. 400.*

Hisce concordiaë consiliis acriter se op-
 ponebat Colinius Architalassus ita
 differens: „probe prævideo, quod Rex
 pacem ideo duntaxat proponat, ut eos,
 quos armatos, & conjunctos vincere non
 poterat, armis depositis, & traditis op-
 pidis, quæ receptui serviebant, omni
 potentia exutos divideret, injuriamque
 nuper in tumultu Meldensi acceptam
 ad extremum ulcisceretur. Ast Condæus
 Princeps haud æquum, imo potius invi-
 diosum esse censebat oblatam recusare
 pacem, quam necessitas suadebat, eo quod
 jam dilapsæ essent pleræque Santonum,
 & Pictonum copiæ non petita a Condæo
 Principe venia, & plerique se idem factu-
 ros minitarentur, ita, ut metus esset, ne
 exemplo grassante cuncti agmine facto
 a signis discederent: ad hæc haud oc-
 culta murmura exaudiebantur, quibus
 hæc spargebantur: „armis sumptis id
 hæctenus quæsitum, ut pax habeatur:
 quam cum peti, seu dari a Regiis, cun-
 ctis constet, nil aliud superest, nisi ut
 funestissimo, ac damnosissimo bello finis
 im-

imponatur: deest enim militi stipendium, ac sæpissime annona: insuper nobilitas procul a domo cum fummis, nec tolerandis incommoditatibus conflictatur, & exponuntur inimicorum ludibrio eorum familiæ, quarum desiderium ferre, aut periculum diutius negligere non possunt.

§. CXVIII.

Pax conclusa inter Regem, & Calvinistas.

Jam a die quarta Martii firmandæ paci strenue insudabatur, ac illi, qui a Condæo Principe erant missi, Regiis Oratoribus sua postulata communicabant, juxta quæ post varias oppositiones tandem pax his conditionibus firmata est. I. edictum pacis die septima Martii Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo secundo promulgatum, cujus alibi meminimus, tam exacte quoad singulos articulos in opus deduceretur, ut exceptionibus, interpretationibus, ac declarationibus omnino sublatis, ac revocatis plenum, & integrum maneat, II. Regia sua Majestas, quantum opus erit, hæc interpretationes, &c. tollat, atque aboleat III. Rex plenam præteritorum oblivionem Condæo Principi, Archita-lasso, cunctisque, qui in nuperis tumultibus eorum partes sequebantur, con-

Sæcul. XVI.
A.C. 1568.

Thu. & Duplex l. c.
Mezeray abrégé chron.
tom. 5. p. 765.